



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Callistratus M. 27. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

S. CALLISTRATUS M. 27. Septembris.

**S**pectavit CALLISTRATVS Carthaginensis miles in avo suo patientem Christum. Inde est, quòd magna pati Christianum & ipse duxerit. Christianum verò se esse commilitonibus tunc prodidit, cum inter preces assiduus pernoctavit. Debebat tam sanctas vigiliis in milite laudare Dux Persentinus & militaribus donis ornare; sed ille pium vigilem equuleo, verberibus & testarum fragminibus laceravit; ita tamen, ut inter ea omnia tormenta canere etiam CALLISTRATO adlubesceret. Atque ut ne infacetè cecinisse putet, capti modulis delphini gemini, cum culeo infutus & undis merfus esset, tergo Ariona suum exceperunt, & littori plaudentes reddiderunt. Eo miraculo permoti milites alii XLIX. cum Christo nomen dedissent, vincti in mare præcipites acti sunt. Cum enataissent rectius instruendi in novâ militiâ, denuò unâ cum CALLISTRATO piscibus præda abjecti sunt. Sed vicere iterum undas, & victoriam cælum gratulatû est, quando coronam misit, quæ caput CALLISTRATI cingeret. Quid expectas? in carceres abrepti, cæsi omnes in frustra sunt. Et hoc nimirum fuit, quòd plebejâ morte defungi noluerunt. Juvabat non integros, sed artuatim Christo perire. Nec poterant per minutas rimas exire; ampla ostia, magna vulnera ingentes & militares animæ quærebant.

*Ex Metaphr.*

*Christus omnibus vita, omnibus via, omnibus janua est. Perge quòd curris, ut apprehendas, in quo apprehensus es; enitere per angustam viam, ut pervenias in amplam possessionem hereditatis aternæ. S. Pauli. epist. 31.*

S. EL.